PERILLUSTRI . ET . REV . THEOLOGO . SACERDOTI

JOSEPHO PAVESIO

III. KAL . OCTOBRIS . AN . MDCCCLXXIII

QUO . DIE . ANTE . AN . L

SACRUM . DEO . PRIMITUS . FECIT

PAROCHUS **JOSEPH NEGRO**

HOS . DABAT . VERSICULOS

OBSERVANTIÆ . AMORIS . GRATI . ANIMI

TESTIMONIUM

NOVIS APUD LIGURES

EX OFFICINA RAIMONDI

Cum approbatione.

DYSTICA.

Lumina sol hodie pulcherrimus extulit undis
    Rite tibi, JOSEPH, florea serta ferens.
Vere quo toto deducis tempore vitam,
    Pene tibi haud ista gratior ulla dies.
Sæclum post medium, nunc denuo templa Sacerdos
    Ingrederis purus Sacra litare Deo.
Obvenit haud multis sors quæ tibi contigit alma:
    Gratulor et tecum, et gaudeo multa mihi.
O igitur felix, celsi cui Rector Olympi
    Tam magno tribuit munere posse frui!
At quis pro meritis quisnam te dignior unquam?
    Queis et ego appositis laudibus ista canam?
Vera loquar (fictis didici nil condere verbis)
    Ignoscatque favor mi, tuus atque pudor.
Quidne Fidem referam constantem pectore casto?
    Quanta tibi Pietas? quantus et almus Amor?
Quid dicam ingenuos æquo moderamine mores?
    Quantus amor recti? quæ sine labe fides?

Quæ probitas? quam vile lucrum? quæ cura pudoris?
　　Quam visu, et dictu candida simplicitas?
Non tua sunt hæc? At verum quod novimus omnes,
　　Omnibus atque tui laus bona in ore sedet.
Quod pietate potens, divinoque actus amore,
　　Usque tibi carus Relligionis honor.
Cunctis exemplar sequeris vestigia Christi
　　Perpetuæ præbens lucis iter populo.
Legibus explendis fert quas Ecclesia mater
　　Promptior ullus adest, obsequioque prior?
Nunc ne ego sum tanti, valeam qui rite referre
　　Quæ tu pro Christo munia sancta reples?
Omnes ut parias Cælo, omnibus omnia factus,
　　Oh tu quo studio, et quam sapienter agis!
Quantumvis senium vires in corpore frangat,
　　Attamen adproperas creber adesse sacris:
Instruis hic pueros, hic sontes sanguine Christi
　　Abluis et Doctor, longanimisque Pater;
Erigis abjectos, ægris solatia reddis,
　　Arbiter et placidus jurgia tu dirimis.
Consiliisne juvas? prudentia præscia fulget;
　　Corripis? in dictis gratia quanta tuis!
Non haec parva quidem, verum majora supersunt
　　Quæ tu pro indiguis largiter exequeris;
Ast ea quae poterit recte recludere lingua?
　　Nam pius occultis fundis opes manibus.

Non tu divitias antris nigrantibus abdis;
  Noscis sat bene, quod « pauper ubique jacet »
Istis idcirco rectis nil laudibus addam,
  Ne exiguis verbis grandia comminuam.
Nunc tua ne spernat, laceretque modestia versus;
  Rebar pauxillum solvere justa tibi.
Novi quod verax vitat præconia virtus;
  Ex se fert etenim munera magna satis;
Libera sed quæ laus ab amico devenit ore
  Cuinam non dulcis, non generosa sonet?
Nec mihi succense, Joseph, quod quæ obtegis acta
  Carmine veraci sint patefacta meo;
Quandoquidem Mystis ajens « lux estis in orbe »
  Vult Christus cunctis luceat ista, monens:
Quæ bona sunt opera omnibus adspiciantur oportet,
  Ut pariter fiat, gloria sitque Deo;
Atque sibi quisquis certe cum fallere nolit,
  « In te quod laudet, quodque imitetur habet »
Cum vero ista dies maneat lætissima cunctis,
  Quid tu, mi JOSEPH, fletibus ora rigas?
Heu! scio: mens tua, sacra ac inter gaudia luctus
  Christiadum recolens, condolet illacrymans.
At forti esto animo: manet et de clade trophæum;
  Haud unquam Christi concidet alma Fides.
Sorte tua felix igitur, carissime, gaude;
  Totaque stirps tecum gaudeat alta tua.

Grata tua est Cælo pietas, mensque optima; nil est
　　Quod metuat virtus præside tuta Deo.
Tu præstans meritis, fama venerabere semper,
　　Tu decus, et sacræ gloria militiæ.
Hoc unum interea te nunc deposcimus omnes,
　　Ut longas curas æquet amica quies:
Hoc quoque Sacrificas unum poscemus ad Aras,
　　Centenos annos incolumis repleas.
Adnuite optatis omnes ex corde sodales,
　　Nullaque pars voti sit peritura precor.
CHRISTE Sacerdotum Pastor, Pater, atque Sacerdos,
　　Hunc tibi tam carum Pectore conde Sacro.
VIRGO bona, et MATER, veterem tutare sodalem;
　　Te colit, et magno flagrat amore Tui.
Tu, MICHAEL, festi cui hodie redduntur honores,
　　Huic, precor, usque Tuo numine dexter ades.